Quæstio Medica

Quodlibetarijs disputationibus agitanda In Scholis Medicorum die martis 15° febr.

D. Petro Seguyn Doct. Med. moderatore Prudentiss.

Est ne Vitalis facultas ad Vitam omnium maximè necessaria?

Corpus nostrum tribus primis regitur facultatibus animali, vitali, naturali. Animalis (quæ princeps est, movens et sentiens) in cerebri ventriculis una cum animali spiritu ex vitali et aëre ibidem perfectissimè elaborato tanquam in arce et prima sede collocata, princeps quidem in omnibus promiscuè suis fungitur officiis; movens tamen à postico, sentiens ab antico in solos nervos (præterquam in visu) per eorum cavitates vectore spiritu vel momento suo; sed movens in duriores tantum à quibus motum in musculis arbitrarium (cujusmodi est respiratio) molitur; sentiens verò in molliores simul, et duriores (unde per eundem nervum sensum et motum ~~in musculis arbitrarium~~ fieri nihil vetat) atque in sensuum organa recepturæ duntaxat imaginibus propria cuiusque officii sensationis.

Vitalis sinistro cordis ventriculo tanquam fonti insidens, eo in solas arterias, tanquam in rivulos per earum substantiam distribuitur. Quæ cum aut sit vitalis spiratium sic dicta, aut pulsifica, prior ex sanguinis halitu, et aëre in eodem ventriculo, et arteriis spiritum vitalem procreat: posterior verò pulsum in utrisque officinis eundem spiritum et tuetur, et in arterias transmittit. Atque cum pulsus sit duplex motus, cor et arteriæ simul quoquoversum distendunt, et contrahunt diastole videlicet, et systole. Illa frigidus aër attrahitur et spiritus in sua temperie et symmetria continetur: hac verò à fuliginosis repurgatur excrementis, novorum copia obviatur, et in arterias transfunditur, atque ab his in membra, ut insiti caloris et spirituum fomes instaurantisque vitam in singulis conservet.

Naturalis in altricem, auctricem, et generatricem dispertitur. Altrix duplex est, influens, quæ in jecoris parenchymate implantata, ab eo in venas dispensata in hæmatosi, sanguinisque anadosi tota incumbit, et insita singulis partibus, quæ appositi atque agglutinati alimenti non ὁμοίωσιν (cuique enim assimilatio est nutritio) sed jam assimilati cum partibus κόλλησιν, et unionem operatur. Utrique famulantur attractrix, retentrix, coctrix et expultrix: omnes in similaribus quidem incumbentes primarum tantum qualitatum, in instrumentariis verò etiam fibrarum ministerio (si unam coctionem demas) sua ~~munera~~ obeuntur. Auctrix quoque in solidis partibus insidet, easque quoquoversum ampliat, auxiliantibus altrice et nutrice: At generatrix testibus præcipuè inhærens, deinde vasis spermaticis, inde cum semine ad alterius animantis generationem traducitur alteratrice et formatrice opera fœtum absolvens.

Omnium porro facultatum nulla toto vitæ curriculo abolitur, et si à suis functionibus quandam feriantur. Trium verò principum unaquæque sic ad opus suum perficiendum alterius ope minimè indiget, mutuâ tamen conspiratione usque eo ~~omnes~~ inter se ad vitam connexæ sunt: ut una toti adepta reliquas trahat in societatem ruinæ. Hinc si naturalis in suo fonte graviter offendatur, reliquæ pabulo et materiâ, unde sua opera conficiant, destitutæ conquiescent. Ita si animalis in cerebro aboleatur, vitalis una cum respiratione (cujus opera carere non potest) extinguitur; simul et ex consequenti naturalis: similiter et sublatâ vitali cæteræ omnes corruunt, intercidunt, privatæ beneficio caloris et spiritus influxu quam vitam in singulis partibus continent ac tuetur.

Extinctam tamen omninò vitalem multò celerior magisque ~~praesens~~ præsentem, quam in diversis cæteras ipsius vitalis, consequitur interitus. Subtracto quippe ad aliquot dies alimento, vel ad aliquam temporis morulam vitæ respiratione impedito vitam protrahi nihil impedit. Nos quandiu animal vivit, alimento frui ~~continuo~~ continuoque necesse est. Simul atque verò beneficus ille calor, vitæque author spiritus in corde non gignitur, aut ibidem suffocatur: eodem momento vita cum reliquis facultatibus deficitur. Cæterum quamvis in vivente corpore, una reliquarum pereunte, pereat tandem et vitalis. Si tamen aliquâ in parte fieri minimè necessum est. Quin imo partem non modo sensu, et motu privatam, sed et ipsâ nutritione solo vitalis facultatis influxu ~~vita~~ vivere constanter asserimus.

Ergo facultas vitalis ad Vitam maximè omnium est necessaria.

Ponebat Joannes Valant Atrebas · anno Domini 1594.

Domini Doctores Disputaturi

m. Petrus Seguyn Præses
m. Ludovicus Dreux.
m. Julianus Berè.
m. Nicolaus Marchant.
m. Franciscus Duport.
m. Guillelmus Lusson.
m. Hugo Prenosteau
m. Nicolaus Ellain
m. Nicolaus Millot.

F.M.P. BIBLIOTHÈQUE